



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

§. XXIII [i.e. XXIII]. An facto contractu emptionis, & venditionis, venditor
teneatur rem venditam tradere cum possit, vel satisfaciat soluendo
interesse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

conclus. Petr. Navarra 3. de restitut. capit. 2. numer. 59. Layman lib. 3. sum. sect. 5. tractat. 4. capit. 17. §. 2. numer. 15. & aliorum plurium, & colligitur ex leg. 1. §. proinde & sequenti. & leg. ob que vitia & §. 11. ff. de ad. l. i. Ratio autem est, quia ad invalidandum contractum venditionis spectandum est, an deceptio talis sit, ut iure naturali vel positivo contractum annuller, non autem spectari debet, an emptor empturus foret, vel non foret, aliis passim contractus dissolueretur in graue Reipublice detrimentum, cum sæpe emptores si sibi omnes circumstantiæ manifestarentur ab emptione cessarent. At leuis iactura rei emptæ nec iure naturali, nec positivo contractus dissolutionem præstat, neque id expediens erat, maxime cum pretio iusto res emptæ sit.

15 Neque rationes oppositæ videntur ad locum D. Ambrosij, & ad leges illas respondet bene Molina intelligendas esse de occultatione vitii, quod mercem notabiliter noxiam, vel inutilem reddit ad finem ad quem emi solet. Secus verò de vitio quod nec rem noxiam, nec notabiliter inutilem reddit. Neque obest illam emptionem esse aliquo modo inuoluntariam. Satis enim est quod simpliciter voluntaria sit. Et licet emptor ius habeat contendendi de infimo pretio inde non inferitur teneri venditorem omnia vitia rei venditæ manifestare, sed qua ex rei natura, & spectata communi contrahentium praxi manifestantur; vitia sunt quæ reddunt mercem noxiam, vel notabiliter iniuriam. Nam sicut emptor habet ius contendendi de pretio infimo, ita venditor habet ius contendendi de pretio rigorofo. Verique hoc ius habet secundum notitiam quam ex re, & pretio affici potest & debet. Et sicut emptor potest rem infimo pretio comparare à venditore ignorante eius utilitatem, sic potest venditor ab emptore exigere pretium rigorosum iuxta æstimationem rei vitiatæ, nulla enim committitur iniustitia, cum pretium rei vitio affectæ æstimationem non excedit.

16 In casibus autem in quibus in hoc contractu emptionis, & venditionis deceptus fuit, datur tibi actio redhibitoria videlicet ad rehabendum pretium, seu rem datam, si vitium eius qualitas sit, ut si illud agnosceres nequaquam contraheres, quæque durat semeltri vitii. Si autem de facto contraheres, sed non tanto pretio competiti tibi actio quanto minoris, id est ut recuperes pretium quanto minus rem empturus es, quæque durat per annum à die deceptionis notæ. Ut probat lex 1. lex. cum sex. lex sciendum, & aliis ff. de ad. l. i. ob. & leg. regia 64. & 65. ff. de par. §. 5. & pluribus exornat Anton. Gomez 2. var. cap. 2. numer. 47. Molina disp. 353. post in. iurium. Gregor. Lopez. dicta. leg. 6. §. glo. ff. Qui aduertat transactis sex mensibus actionem redhibitoria concessit te posse alius sex mensibus actionem quanto minoris intentare. leg. si tamen §. non nocet ff. de ad. l. i. ob. Quod si fuerit transacti locum iam non esse his actionibus, ut tamen poteris actione de dolo quæ perpetua est, vel remedio legis 2. Cod. de rescind. vendit. si vitia dimidium deceptus fuit, semper tamen in conscientia foro obligatio satisfaciendi perseverat, tamen hæc actiones ob vitandas lites in foro externo essent, ut bene aliis relatis aduertit Couar. in reg. possessor. 2. p. §. 1. num. 5.

17 Ad extremum adde. Si plures res vno pretio vendantur, quarum vna vitiosa sit, quæ si separatim vendita esset redhiberi poterat, potest etiam cum simul cum aliis fuit vendita. Hac tamen differentia, nam si ab aliis separari commodè possit, per se tantum redhibenda est: si vero cum aliis sit coniuncta, ut commodè ab aliis separari nequeat omnes aliæ simul cum ipsa redhibendæ sunt, vel nulla est redhibenda. ut bene resoluit Anton. Gomez 2. var. capit. 2. numer. 49. ex leg. si plura mancipia ff. de ad. l. i. ob. leg. ediles in 2. §. finali. leg. cum eiusdem ff. eodem.

§. XXIII.

An facto contractu emptionis, & venditionis venditor teneatur rem venditam tradere cum possit, vel satisfaciat soluendo interesse?

- 1 Affirmant aliqui satisfacere soluendo interesse.
- 2 Verius est obligandum ad rem factam tradendam.
- 3 Satisfacit contrarius.
- 4 Temperant aliqui ne procedat, cum venditor se constituit nomine emptoris possidere sed non admittitur.

Andreas Fachineus lib. 2. controuers. capit. 30. relato Socino in leg. certi conditio ff. si certum petatur. Et Alciato ad l. g. unic. cod. de sentent. qua pro eo quod interest, respondet satisfacere si interesse soluat, neque compelli posse præcise ad rem tradendam, sed ad tradendam rem, vel soluendum emptori quanti sua interest quod res non tradatur. Ducitur ex leg. 1. ff. de actionibus empti. ibi. Si res vendita non tradatur ad id quod interest agitur. Secundo ex leg. si traditio Cod. eodem tit. ubi idem habetur. Tertio ex leg. exempto §. exempto ff. eodem. ibi & exempto actionem esse, ut habere licere emptari conetur, sed &

ut tradatur ei possessio. Idem ait non tradentem quanti interest condemnari. Quarto ex leg. si iactum res ff. de actionibus empti ubi si iactum res emero & captos pisces piscator noluit tradere ad æstimationem rei agendum. Quinto ex leg. contractus Cod. de fide instrumentor. Adde (inquit Textus) ut nequis illud in huiusmodi venditionibus liceat dicere, quod pretio infimo necessitas venditori imponatur, vel contractum venditionis perficere, vel id quod emptoris interest persolvere. Tandem quia in obligationibus facti sufficit præstare id quod interest. leg. stipulationes non diuiduntur vers. Celsus de verborum obligationibus leg. si quis ab alio §. ultim. ff. de re iudicata. Sed venditor tenetur ad factum tempore ad rem tradendam leg. si stipulatus ff. de iuris leg. si rem tradi ff. de verborum obligationibus. Ergo præcise compelli non potest ad tradendum, sed soluendo quod interest emptoris liberatur. Hæc Fachineus.

Verum etiam prædicta sententia in foro externo probabilis sit, probabiliter existimo que aliter tradendam esse venditorem ad rem venditam realiter tradendam, si potestatem tradendi habeat. Vti docuerunt Glossa. Bartol. Paulus Castrensi. ad legem 1. ff. de actionibus empti. Alexander. Decius, & Iason. ad legem certi conditio ff. si certum petatur. Pinel. ad legem 1. Cod. de iuris maternis numer. 3. p. numer. 26. Couar. 4. var. capit. 19. numer. 1. Anton. Gomez 2. var. capit. 2. numer. 20. §. secundo in his, & indica Menochi. casu 120. & alij apud ipsos, & colligitur ex leg. ex empto. ff. de actionibus empti: ubi venditor qui Dominus est rei venditæ tenetur dominium in emptorem transferre. Ad idem est §. pretium instituit. de emptione & venditione & §. persiuntur instituit. de donationibus. Ratio efficax est, nam venditor in foro conscientie obligatus fuit ad rem venditam cum effectu tradendam, v. g. ad damnum, vel prædium venditum tradendum, ergo non satisfacit soluendo interesse, alias satisfaceret dissoluoendo contractum, & reddendo pretium. Et continuo, obligatio qua fuit venditori strictius non fuit alteritiam mirum rei venditæ, vel interesse, sed fuit determinata, & in specie ad rem venditam. Ergo hæc exequenda est, cum facile possit. Quod si dicas hæc procedere in foro conscientie, non autem in exteriori, obstat quia forum externum interno conformari debet, cum internum falsæ non nititur presumptioni.

Argumenta in contrarium non videntur, probant namque ad interesse agendum esse, cum venditor facultatem tradendi non habet. Id enim probant lex 1. & lex traditio. & lex exempto. Lex vero si iactum res concedit actionem ad interesse, quia venditor non habuit potestatem tradendi, cum piscator noluerit emptos pisces tradere, non enim in ea lege videtur esse idem emptor & piscator. Ad leg. contractus, loquitur de obligationibus sub conditione pendentes, in quibus nec venditori imponitur necessitas perficiendi venditionem, nec soluendi interesse, subintelligit autem ipsam conditionem. Ad vitium admittit quod verum non est in obligationibus ad factum satisfieri soluendo interesse, sed hoc intelligitur de obligationibus ad factum alienum, vel si intelligatur de obligationibus ad factum proprium debet esse factum personæ non reale, alias omnes obligationes de re fauere essent obligationes facti non rei, quod non est dicendum.

Aliqui non contenti Dofores, quos refert Fachineus dict. lib. 2. controuers. cap. 31. temperant hanc nostram sententiam, ne procedat cum venditor se constituit nomine emptoris rem venditam possidere, nam eo casu censent non posse venditorem conueniri, ut rem venditam emptori tradat, quæ per clausulam constituti ei tradidisse videtur, cum ea sit ista constituitur, ut ciuilem, & naturalem possessionem transferat in eum cuius nomine possideret leg. quod meo ff. de acquirend. possess. Quod à fortiori procedit, cum te precario nomine emptoris constituit se venditor possidere.

Sed hæc limitatio profus reicienda est, sicuti illam reiciunt Bald. & Castrensi. in leg. ab emptione. ff. de pactis. Alexand. cons. 28. lib. 2. Decius cons. 281. co. 2. Rul. nus, cons. 94. lib. 1. Tiracquel. de iure constituti 1. p. numer. 8. & leg. Matheslan. singul. 67. quos refert, & sequitur Fachin. dicto capit. 31. Quorum fundamentum est, quia venditor obligatus est ex contractu venditionis ad rem effectualiter, & realiter tradendam. leg. ex empto. ff. de actionibus empti. Cui obligationi non satisfacit per clausulam constituti, seu precarium, cum hæc non sit realis traditio, sed ficta. leg. & habet §. eum qui precario ff. de precario. Item tenetur venditor emptori concedere possessionem rei venditæ naturalem, & quoad factum: & constituto, vel precario sola ciuili possessione concessa est, ergo conueniri potest actione ex empto, ut hanc possessionem tradat.